



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

IV. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Elisabeth Regina Lusitaniæ, quadraginta dies Mariæ Assumptæ festum præcedentes, quot annis jejunio, & pridianos Marianarum festivitatum dies pane & aquâ toleravit. Pro bona morte quotidie officium Deiparæ recitabat, eò affectu, ut morienti Virgo adfuerit, quam hæc illis verbis : *Maria Mater gratia &c.* salutans expiravit. *Nad. an. Cæl.* Imò tunc primò vivere cæpit.

S. Elisabeth, cui summa semper egenorum cura fuit, tibi animam meam omni virtutum & meritorum ope destitutam commendo: Pro ea apud Cœli Reginam ora, ut quod meritis meis deest, ejus, tanquam munificentissimæ Reginæ apud filium intercessione suppleatur. *O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis quàm animæ viribus, centies millies, imò infinities &c. fol. 190.*

Ad quod impetrandum familiarem mihi faciam hodie aspirationem illam: *Maria Mater gratiæ Mater misericordiæ*, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Cùm omnia per Mariam sint recreata, & per eam renovata, Matrem eam debent reputare, eamque super omnia, & super omnes creaturas venerari. *S. Antonin. ib.*

Quæstio: An Joannes in prima Deiparæ salutatione usu rationis donatus, in eodem usu perseveraverit? *v. Barrad.*